

sancti Adriani, Manfredi tituli sancti Georgii, Ugonis tituli sancti Eustachii, Petri tituli sanctæ Mariæ in Aquino Diaconorum Cardinalium, ac aliorum testium, & Ostiariorum ad hoc specialiter vocatorum (2). At Mediolanenses cum e re sua esse viderent novæ urbis ædificationem, si aliquo modo populum tam ingentem, ac armis insignem in suam amicitiam, & confederationem allicere possint, statim legatos ex primariis Civitatis ad novam urbem transmiserunt cum amplis mandatis, qui gratularentur novæ urbis constructionem, ipsisque se, suaque omnia pollicerentur, ubicumque Mediolanensis Reipublicæ opes possent esse illis usui, & ornamento; semper amicos fuisse oppidorum, nunquam controversias ullas inter se se extitisse, sed pacem, & jura vicinitatis sancte servasse, idque posthac servaturos esse causa constantiæ suæ, & communis conservationis: porro Federicum Cæsarem male in novam Civitatem animatum esse, ut qui technis, & fraudibus Gulliemi Marchionis Montisferrati in ipsos accendatur; quare si amicitiam Mediolanensium novices non respuerent, nullam moram esse, quin fœdus inter ipsos, & incolas novæ Civitatis fiat, & sanciat. Cæsarienses opulenter, & magnifice Mediolanensium legatis receptis, & eorum mandatis auditis, se post triduum responsuros eorum legationi dixerunt; quare inito consilio rem totam ad illud retulerunt, jusseruntque omnes considerare rei gravitatem, & negotii qualitatem. His accedebat non levem famam adesse, Federicum ut morem gereret, Gulliemo in itinere se accingere, & jam alpes Julias transiturum, & recta ad novam urbem occupandam, si posset, non contemnendum exercitum adducere, bellicque machinas, mangana, & alia ad urbis oppugnationem necessaria, Gulliellum, & Papienses suppeditaturos, qui apparatus faciebant, & valde timeretur, ne nova urbs oppugnationi futuræ succumberet; præsertim adversus Federicum Imperatorem, summi nominis Ducem, & adversus tot infensissimos inimicos nominis orientis urbis; quare si unquam alias, hoc potissimum tempore divinum numen ab omnibus implorandum esse, ut edoceret, quomodo Reipublicæ esset prospiciendum. Incolæ vero novæ urbis rem omnem ubi perpenderant, omnibus votis in Mediolanensium amicitiam convenire sanum esse consilium conclamarunt, & furentissimo hosti, divinisque omnibus interdicto occurrendum, utpote qui Romanam Ecclesiam suo nutu regere optaret, Pontificesque & instituere, & destituere ad arbitrium cuperet; & si moriendum esset pro incolumitate sedis Apostolicæ, & patriæ gloriosam mortem oppetere rem omnibus optabilem, & præclaram. Quare legatis Mediolanensium accitis in hæc pacta fœdus percusserunt, uti Mediolanenses, & novæ urbis incolæ in fœdere perpetuo permanerent. Hostes eosdem communes haberent, si Federicus, aut quivis mortalium alius arma adversus novæ urbis conditores moveret, Mediolanenses cum omnibus copiis auxilio essent, & contra ut fundatores novæ urbis omni conatu, & opera contenderent, ut Mediolani Civitas, quæ a suis civibus resecta fuisset contra Federici mandatum, facta testâ quantum in eis esset præstaretur,

& e communi hoste defenderetur. Hoc igitur inito fœdere Mediolanenses legati in patriam suam redierunt, populi novi ferociam, multitudinem, atque adeo liberalitatem extollentes.

(1) *Extat par. 1. doc. 53. Col. 68.*

(2) *Extat par. II. doc. 8. Col. 2. sub anno MCXIX.*

MCLXXIV. Interim de his omnibus rebus, quæ gerebantur, a Gulliello certior fit Federicus; quare tamquam amens expeditionem magis, ac magis accelerat, tum ut inimicos improvisos adoriretur, ac nihil tale timentes, tum etiam ut urbs nova mœnia, quæ surgere in dies magis audiebat, progressum in medio opere impediret, & ut Mediolanenses ab consilio urbis suæ reficiendæ avocaret, quæ omnia consiliis suis valde obstare judicabat. Quare adjuncto sibi Ladislao Boemiæ Rege, quem Imperator ipse Federicus ob virtutum præstantiam Regem creaverat, per alpes Julias (1) in Italiam transgressus, Segusium petiit, atque simulatione quadam illud adortus prostravit. Mœnibus dejectis, celeriter Hastam Coloniam perrexit, quæ statim Segusiensium excidium pertimescens Federico se dedit. Opportunissime autem accidisse sibi celerem Astensium deditionem ratus est Federicus ad maturandam scilicet expeditionem, & ad victoriam ex urbe nova parandam: præsertim auctus copiis Gulliemi, & Ticinensium, cum quibus Marchio ille Montisferrati Federico occurrit, ut omnibus consiliis, quomodo bellum gerendum esset; deliberare valerent. Federicus ut erat alto animo expugnationem speravit primo quoque tempore in ipso itinere successuram. Gulliellus, qui sæpius expertus fuerat incolarum novæ Civitatis arma, quippe probe nosceret eorum gentes, & spiritus, cogendos hostes obsidione videbat, quam futuram, & longam, & difficilem afferebat; & propterea omnibus rebus providendum prius esse, quam obsidione cingeretur Civitas, affirmabat. Imperator qui cuperet res maximas brevi tempore peragere Gulliello imperat, ut commeatui parando operam daret, provideretque ut ex Marchia ejus, & ex Ticinensium regione abundanter afflueret, ac ad exercitum adduceretur. Federicus interim experturus, quid veteranæ suæ copię possent, eamobrem suscepto exercitu Ticinensium, & Gulliemi, ipse cum ingentibus copiis suis ad novam urbem properat die celeberrimo sancti Michaelis ejusdem anni MCLXXIV., eaque perlustrata milite cingit diviso exercitu, ita ut essent, qui urbem obsiderent, & citra Tanarum, & trans Tanarum, ut ita duobus in locis obfessi vires suas dividerent. Fama est Federicum justo exercitu urbem obsidione cinxisse, qui in dies augebatur copiis ab universis fere Italiæ urbibus, & principibus huc advectis, qui de imperio Romano bene sentirent. Incolæ novæ Civitatis, quos interea Cæsarienses appellabo, hac re nihil permoti, impigre omnia parabant, quæ ad pugnationem necessaria videbantur, in urbem prius advectis omnibus rebus, quæ essent & ad munitionem urbis, & ad victum opportuna a vicinis oppidis. Itaque post annum sextum, quo ædificari cœpta fuit Civitas, obsidetur, cum nundum mœnia perfecta forent, & vix fossa